BR
63
F4
v.40
GTU

Digitized by the Internet Archive
in 2025 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/sthomaedeaquinoq40unse

Florilegium Patristicum
tam veteris quam medii aevi auctores complectens

Ediderunt

Bernhardus Geyer
S. Theologiae Doctor
in Universitate Bonnensi Professor ordinarius

et

Johannes Zellinger
S. Theologiae Doctor
in Universitate Monacensi Professor ordinarius

Fasciculus XL

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXV

THOMAS AQUINAS

S. Thomae de Aquino
Quaestio de Gratia Capitis
(Summae p. III q. 8)

accedunt textus inediti

S. Alberti Coloniensis et Ulrici de Argentina

edidit

Ignatius Backes
S. Theologiae Doctor
in Universitate Bonnensi docens

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXV

25970

BR
63
F4
v.10
BX
1749
T479

Imprimatur Coloniae die 3. Novembris 1934. Dr. David Vicarius generalis.

PROLEGOMENA

Cum doctrina de corpore Christi mystico in dies magis animos moveat, quid de ea magni scholastici doctores senserint, cognoscere nobis traditioni patrum inharentibus summi momenti est. Quare hortantibus Michaele Schmaus et Bernhardo Geyer professoribus quaestiones de gratia capitis ex S. Thomae de Aquino et S. Alberti Coloniensis et Ulrici de Argentina operibus depromptas ad exercitationes academicas propono.

Ex operibus S. Thomae electa est Summae de theologia p. III. q. 8., maturus fructus indefessi laboris. Editionis Leoninae tomi XI. summa cum diligentia et methodo artis criticae confecti textu non mutato uti licebat.

Ceterorum scholasticorum quae iste fasciculus continet dicta hic primo in lucem eduntur. Quaestiones S. Alberti de incarnatione adhuc ignotas P. Albertus Ohlmeyer in codice manuscripto 720 B. G. XV. 83. bibliothecae universitatis Giessen nuper detexit. Est codex *G* nostri apparatus, cuius descriptionem videas in Recherches de théologie ancienne et médiévale 4 (1932) 392. Earundem quaestionum alteram traditionem eodem fere tempore P. Henricus Meerssemann in codice bibliothecae nationalis Florentinae (Sopressi) G. 5. 347 invenit. Qui codex, ut scripsit P. Meerssemann, magnitudinis 230 × 207 mm saeculo XIII. 2 columnis super folia membranea scriptus provenit ex S. Maria Novella, continens f. 43^{va}—52^{va} tractatum de incarnatione, apud nos siglo *F* insignitus. Ambarum codicum folia phototypice expressa Institutum S. Alberti Coloniense auctori gratissime praebuit.

Ulrici de Argentina Summae de summo bono saepius laudatae librum I. Johanna Daguillon a. 1930 Parisiis edidit. Albertus Ehrhard, theologiae professor, qui prior et usque ad annum 1927 editioni serviebat, folia complurium codicum manuscriptorum phototypice expressa ad editionem curandam magnificentissime auctori tradidit. Ad hanc minimae partis libri V. editionem collati sunt 4 codices, quos bene opere citato J. Daguillon descripsit.

Omnibus qui me adiuverunt, imprimis Bernhardo Geyer professori, huius florilegii editori, gratias ago.

Nonnenwerth, in insula Rheni, die 29. Sept. 1934.

I. Backes.

SIGLA

F = Florent. bibl. nat. cod. lat. G. 5. 347.
G = Gießen bibl. univ. cod. lat. 720.
P = Paris. bibl. nat. cod. lat. 15901. Cf. Daguillon 40*—44*.
R = Rom. bibl. Vat. cod. lat. 1311. Cf. Daguillon 93* sq.
S = Rom. bibl. Vat. cod. lat. 10038. Cf. Daguillon 95*.
O = S. Audomari (S. Omer) bibl. publ. cod. 152. Cf. Daguillon 49*—53*.
> = omisit.

LIBRI CONSULENDI

Anger J., La Doctrine du Corps Mystique de Jésus-Christ d'après les principes de la théologie de s. Thomas, Paris 1929

Backes I., Die Christologie des hl. Thomas v. A. und die griechischen Kirchenväter (Forschungen zur christl. Literatur- und Dogmengeschichte XVII 3—4) Paderborn 1931

Geiselmann J., Christus und die Kirche nach Thomas v. A., Theol. Quartalschr. 107 (1926) 198—222; 108 (1927) 233—255

Kaeppeli Th. M., Zur Lehre des hl. Thomas v. A. vom Corpus Christi Mysticum. Mit einem kurzen Überblick über die wichtigsten Vertreter dieser Lehre vor Thomas v. A. (Studia Friburgensia) Freiburg Schw. 1931

Mersch E., Le Corps Mystique du Christ. Etudes de théologie historique. (Museum Lessianum, sect. théol. 28—29) Löwen 1933

Rolland J., La "grâce capitale" du Christ, Vie spirituelle, Suppl. 19 (1929) [281]—[306]; 20 (1929) [48]—[69]

S. THOMAE DE AQUINO
SUMMA DE THEOLOGIA P. 3 Q. 8
DE GRATIA CHRISTI SECUNDUM QUOD EST CAPUT ECCLESIAE
IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de gratia Christi, secundum quod est caput ecclesiae. Et circa hoc quaeruntur octo:

1° Utrum Christus sit caput ecclesiae.
2° Utrum sit caput hominum quantum ad corpus vel solum quantum ad animas.
3° Utrum sit caput omnium hominum.
4° Utrum sit caput angelorum.
5° Utrum gratia, secundum quam est caput ecclesiae, sit eadem cum habituali eius, secundum quod est quidam homo singularis.
6° Utrum esse caput ecclesiae sit proprium Christo.
7° Utrum diabolus sit caput omnium malorum.
8° Utrum Antichristus etiam possit dici caput omnium malorum.

Ad primum sic proceditur: Art.

1. Videtur quod Christo, secundum quod est homo, non competat esse caput ecclesiae. Caput enim influit sensum et motum in membra. Sensus autem et motus spiritualis, qui est per gratiam, non influitur nobis a Christo homine, quia sicut dicit Augustinus in 15. de Trinitate[1], nec etiam Christus, secundum quod est homo, dat Spiritum Sanctum, sed solum inquantum est Deus. Ergo ei, secundum quod est homo, non competit esse caput ecclesiae.

2. Praeterea, capitis non videtur esse aliud caput. Sed Christi, secundum quod est homo, caput est Deus, secundum illud 1. Cor. 11 (3): 'Caput Christi Deus.' Ergo ipse Christus non est caput.

3. Praeterea, caput in homine est quoddam particulare membrum influentiam recipiens a corde. Sed Christus est universale principium totius ecclesiae. Ergo non est ecclesiae caput.

[1] August., De Trin. l. 15 c. 26 n. 46 PL 42, 1093 sq.

Sed contra est quod dicitur Eph. 1 (22): 'Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam.'

Respondeo: Dicendum quod sicut tota ecclesia dicitur unum corpus mysticum per similitudinem ad naturale corpus hominis, quod secundum diversa membra habet diversos actus, ut Apostolus docet Rom. 12 (4. 5) et 1. Cor. 12 (12 sqq.), ita Christus dicitur caput ecclesiae secundum similitudinem humani capitis. In quo tria possumus considerare, scilicet ordinem, perfectionem et virtutem. Ordinem, quia caput est prima pars hominis, incipiendo a superiori. Et inde est quod omne principium consuevit vocari caput, secundum illud Jer.[1] 2 (20): 'Ad omne caput viae posuisti lupanar tibi.' — Perfectionem autem, quia in capite vigent omnes sensus et interiores et exteriores, cum in ceteris membris sit solus tactus. Et inde est quod dicitur Is. 9 (15): 'Senex et honorabilis ipse est caput.' — Virtutem vero, quia virtus et motus ceterorum membrorum et gubernatio eorum in suis actibus est a capite propter vim sensitivam et motivam ibi dominantem. Unde et rector dicitur caput populi, secundum illud 1. Reg. 15 (17): 'Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.'

Haec autem tria competunt Christo spiritualiter. Primo enim, secundum propinquitatem ad Deum gratia eius altior et prior est, etsi non tempore, quia omnes alii acceperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius, secundum illud Rom. 8 (29): 'Quos praescivit, hos et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.' — Secundo vero, perfectionem habet quantum ad plenitudinem omnium gratiarum, secundum illud Joh. 1 (14): 'Vidimus eum plenum gratiae et veritatis', ut supra[2] ostensum est. — Tertio, virtutem habuit influendi gratiam in omnia membra ecclesiae, secundum illud Joh. 1 (16): 'De plenitudine eius omnes accepimus.' Et sic patet quod convenienter dicitur Christus caput ecclesiae.

Ad primum ergo dicendum quod dare gratiam aut Spiritum Sanctum convenit Christo secundum quod Deus auctoritative, sed instrumentaliter ei convenit, secundum quod est homo, inquantum scilicet eius humanitas fuit instrumentum divinitatis eius[3]. Et ita actiones ipsius ex virtute divinitatis fuerunt nobis salutiferae, utpote gratiam in nobis causantes et per meritum et per efficientiam quandam. Augustinus autem negat Christum, secundum quod est homo, dare Spiritum Sanctum per auctoritatem. Instrumentaliter autem, sive ministerialiter, etiam alii sancti dicuntur dare Spiritum Sanctum, secundum illud Gal. 3 (5): 'Qui tribuit vobis Spiritum Sanctum' etc.

[1] Cf. Ezech. 16, 24. 25. 31. [2] Q. 7 a. 9.

[3] Joh. Damasc., De fide orthod. 1. 3 c. 15. 19 PG 94, 1060 A. 1080 B.

Ad secundum dicendum quod in metaphoricis locutionibus non oportet attendi similitudinem quantum ad omnia. Sic enim non esset similitudo sed rei veritas [1]. Capitis igitur naturalis non est caput aliud, quia corpus humanum non est pars alterius corporis. Sed corpus similitudinarie dictum, idest aliqua multitudo ordinata, est pars alterius multitudinis, sicut multitudo domestica est pars multitudinis civilis. Et ideo paterfamilias, qui est caput multitudinis domesticae, habet super se caput rectorem civitatis. Et per hunc modum nihil prohibet caput Christi esse Deum, cum tamen ipse sit caput ecclesiae.

Ad tertium dicendum quod caput habet manifestam eminentiam respectu exteriorum membrorum, sed cor habet quandam influentiam occultam. Et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter ecclesiam vivificat et unit, capiti comparatur Christus secundum visibilem naturam, qua homo hominibus praefertur.

Ad secundum sic proceditur: Art

1. Videtur quod Christus non sit caput hominum quantum ad corpora. Christus enim dicitur caput ecclesiae, inquantum influit spiritualem sensum et motum gratiae in ecclesiam. Sed huius spiritualis sensus et motus capax non est corpus. Ergo non est caput hominum secundum corpora.

2. Praeterea, secundum corpora communicamus cum brutis. Si ergo Christus esset caput hominum quantum ad corpora, sequeretur quod etiam esset caput brutorum animalium. Quod est inconveniens.

3. Praeterea, Christus corpus suum ab aliis hominibus traxit, ut patet Matth. 1 et Luc. 3 (23 sqq.). Sed caput est primum inter cetera membra, ut dictum est. Ergo Christus non est caput ecclesiae quantum ad corpora.

Sed contra est quod dicitur Phil. 3 (21): 'Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.'

Respondeo: Dicendum quod corpus humanum habet naturalem ordinem ad animam rationalem, quae est propria forma eius et motor. Et inquantum quidem est forma eius, recipit ab anima vitam et ceteras proprietates convenientes humano corpori secundum suam speciem. Inquantum vero anima est motor corporis, corpus instrumentaliter servit animae.

Sic ergo dicendum quod habet vim influendi Christi humanitas, inquantum est coniuncta Dei Verbo, cui corpus unitur per animam,

[1] Joh. Damasc., De fide orthod. l. 3 c. 26 PG 94, 1096.

ut supra[1] dictum est. Unde tota Christi humanitas, secundum scilicet animam et corpus, influit in homines et quantum ad animam et quantum ad corpus. Sed principaliter quantum ad animam, secundario quantum ad corpus. Uno modo, inquantum membra corporis exhibentur arma iustitiae in anima exsistenti per Christum, ut Apostolus dicit, Rom. 6 (13). Alio modo, inquantum vita gloriae ab anima derivatur ad corpus, secundum illud Rom. 8 (11): 'Qui suscitavit Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.'

Ad primum ergo dicendum quod sensus spiritualis gratiae non pervenit quidem ad corpus primo et principaliter, sed secundario et instrumentaliter, ut dictum est.

Ad secundum dicendum quod corpus animalis bruti nullam habitudinem habet ad animam rationalem, sicut habet corpus humanum. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum quod, licet Christus traxerit materiam corporis ab aliis hominibus, vitam tamen immortalem corporis omnes homines trahunt ab ipso, secundum illud 1. Cor. 15 (22): 'Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.'

a. 3. Ad tertium sic proceditur:

1. Videtur quod Christus non sit caput omnium hominum. Caput enim non habet relationem nisi ad membra sui corporis. Infideles autem nullo modo sunt membra ecclesiae, 'quae est corpus' Christi, ut dicitur Eph. 1 (23). Ergo Christus non est caput omnium hominum.

2. Praeterea, Apostolus dicit Eph. 5 (25. 27), quod 'Christus tradidit semetipsum pro ecclesia, ut ipse sibi exhiberet ecclesiam gloriosam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi.' Sed multi sunt, etiam fideles, in quibus invenitur macula aut ruga peccati. Ergo nec erit omnium fidelium Christus caput.

3. Praeterea, sacramenta veteris legis comparantur ad Christum sicut umbra ad corpus, ut dicitur Col. 2 (17). Sed patres veteris testamenti sacramentis illis suo tempore serviebant, secundum illud Hebr. 8 (5): 'Exemplari et umbrae deserviunt caelestium.' Non ergo pertinebant ad corpus Christi. Et ita Christus non est caput omnium hominum.

Sed contra est quod dicitur 1. Tim. 4 (10): 'Salvator omnium est et maxime fidelium', et 1. Joh. 2 (2): 'Ipse est propitiatio pro

[1] Q. 6 a. 1.

peccatis nostris, non autem pro nostris tantum sed etiam pro totius mundi.' Salvare autem homines aut propitiatorem esse pro peccatis eorum competit Christo, secundum quod est caput. Ergo Christus est caput omnium hominum.

Respondeo: Dicendum quod haec est differentia inter corpus hominis naturale et corpus ecclesiae mysticum, quod membra corporis naturalis sunt omnia simul, membra autem corporis mystici non sunt omnia simul, neque quantum ad esse naturae, quia corpus ecclesiae constituitur ex hominibus qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius, neque etiam quantum ad esse gratiae, quia eorum etiam qui sunt in uno tempore quidam gratia carent postmodum habituri, aliis eam iam habentibus. Sic igitur membra corporis mystici non solum accipiuntur secundum quod sunt in actu, sed etiam secundum quod sunt in potentia. Quaedam tamen sunt in potentia quae nunquam reducuntur ad actum, quaedam vero quae quandoque reducuntur ad actum secundum hunc triplicem gradum, quorum unus est per fidem, secundus per caritatem viae, tertius per fruitionem patriae.

Sic ergo dicendum est quod, accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum, sed secundum diversos gradus. Primo enim et principaliter est caput eorum qui actu uniuntur sibi per gloriam. Secundo eorum qui actu uniuntur sibi per caritatem. Tertio eorum qui actu uniuntur sibi per fidem. Quarto vero eorum qui sibi uniuntur solum potentia nondum ad actum reducta, quae tamen est ad actum reducenda secundum divinam praedestinationem. Quinto vero eorum qui in potentia sibi sunt uniti, quae nunquam reducetur ad actum, sicut homines in hoc mundo viventes qui non sunt praedestinati. Qui tamen ex hoc mundo recedentes totaliter desinunt esse membra Christi, quia iam nec sunt in potentia ut Christo uniantur.

Ad primum ergo dicendum quod illi qui sunt infideles, etsi actu non sint de ecclesia, sunt tamen in potentia. Quae quidem potentia in duobus fundatur, primo quidem et principaliter in virtute Christi quae sufficiens est ad salutem totius humani generis, secundario in arbitrii libertate.

Ad secundum dicendum quod esse ecclesiam gloriosam, non habentem maculam neque rugam, est ultimus finis, ad quem perducimur per passionem Christi. Unde hoc erit in statu patriae, non autem in statu viae, in quo, 'si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus', ut dicitur 1. Joh. 1 (8). Sunt tamen quaedam, scilicet mortalia, quibus carent illi qui sunt membra Christi per actualem unionem caritatis. Qui vero his peccatis subduntur, non sunt membra Christi actualiter sed potentialiter, nisi forte imperfecte per fidem informem, quae unit Christo secundum quid et non simpli-

citer, ut scilicet per Christum homo assequatur vitam gratiae; 'fides enim sine operibus mortua est', ut dicitur Jac. 2 (20). Percipiunt tamen tales a Christo quendam actum vitae, qui est credere, sicut si membrum mortificatum moveatur aliqualiter ab homine.

Ad tertium dicendum quod sancti patres non insistebant sacramentis legalibus tamquam quibusdam rebus, sed sicut imaginibus et umbris futurorum. Idem autem est motus in imaginem, inquantum est imago et in rem, ut patet per Philosophum in libro de memoria et reminiscentia[1]. Et ideo antiqui patres servando legalia sacramenta ferebantur in Christum per fidem et dilectionem eandem, qua et nos in ipsum ferimur. Et ita patres antiqui pertinebant ad idem corpus ecclesiae, ad quod nos pertinemus.

t. 4.

Ad quartum sic proceditur:

1. Videtur quod Christus secundum quod homo non sit caput angelorum. Caput enim et membra sunt unius naturae. Sed Christus secundum quod homo non est conformis in natura cum angelis, sed solum cum hominibus, quia ut dicitur Hebr. 2 (16): 'Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.' Ergo Christus secundum quod homo non est caput angelorum.

2. Praeterea, illorum Christus est caput qui pertinent ad ecclesiam, 'quae est corpus eius', ut dicitur Eph. 1 (23). Sed angeli non pertinent ad ecclesiam. Nam ecclesia est congregatio fidelium; fides autem non est in angelis; non enim ambulant per fidem sed per speciem, alioquin peregrinarentur a Domino, secundum quod Apostolus argumentatur 2. Cor. 5 (6. 7). Ergo Christus secundum quod homo non est caput angelorum.

3. Praeterea, Augustinus dicit super Joh.[2], quod sicut Verbum quod erat a principio apud Patrem[3] vivificat animas, ita Verbum caro factum[4] vivificat corpora, quibus angeli carent. Sed Verbum caro factum est Christus secundum quod homo. Ergo Christus secundum quod homo non influit vitam angelis. Et ita secundum quod homo non est caput angelorum.

Sed contra est quod Apostolus dicit Col. 2 (10): 'Qui est caput omnis principatus et potestatis.' Et eadem ratio est de angelis aliorum ordinum. Ergo Christus est caput angelorum.

Respondeo: Dicendum quod, sicut dictum est[5], ubi est unum corpus, necesse est ponere unum caput. Unum autem corpus simili-

[1] Aristot., De mem. et reminisc. c. 1 450 b 20 sqq.
[2] August., Super Joh. tract. 19 n. 15; 23 n. 6 PL 35, 1552 sq. 1585.
[3] Joh. 1, 2. [4] Joh. 1. 14. [5] Art. 1 ad 2.

tudinarie dicitur una multitudo ordinata in unum secundum distinctos actus sive officia. Manifestum est autem quod ad unum finem, qui est gloria divinae fruitionis, ordinantur et homines et angeli. Unde corpus ecclesiae mysticum non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex angelis. Totius autem huius multitudinis Christus est caput, quia propinquius se habet ad Deum et perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines sed etiam quam angeli, et de eius influentia non solum homines recipiunt sed etiam angeli. Dicitur enim Eph. 1 (20 sqq.) quod 'constituit eum', scilicet Christum Deus Pater, 'ad dexteram suam in caelestibus supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo sed etiam in futuro, et omnia subiecit sub pedibus eius'. Et ideo Christus non solum est caput hominum sed etiam angelorum. Unde Matth. 4 (11) legitur, quod 'accesserunt angeli et ministrabant ei'.

Ad primum ergo dicendum quod influentia Christi super omnes homines principaliter quidem est quantum ad animas, secundum quas homines conveniunt cum angelis in natura generis, licet non in natura speciei. Et huius conformitatis ratione Christus potest dici caput angelorum, licet deficiat conformitas quantum ad corpora.

Ad secundum dicendum quod ecclesia secundum statum viae est congregatio fidelium, sed secundum statum patriae est congregatio comprehendentium. Christus autem non solum fuit viator sed etiam comprehensor. Et ideo non solum fidelium sed etiam comprehendentium est caput, utpote plenissime habens gratiam et gloriam.

Ad tertium dicendum quod Augustinus ibi loquitur secundum quandam assimilationem causae ad effectum, prout scilicet res corporalis agit in corpora et res spiritualis in res spirituales. Tamen humanitas Christi ex virtute spiritualis naturae, scilicet divinae, potest aliquid causare, non solum in spiritibus hominum sed etiam in spiritibus angelorum, propter maximam coniunctionem eius ad Deum, scilicet secundum unionem personalem.

Ad quintum sic proceditur: Art.

1. Videtur quod non sit eadem gratia qua Christus est caput ecclesiae cum gratia singulari illius hominis. Dicit enim Apostolus Rom. 5 (15): 'Si unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.' Sed aliud est peccatum actuale ipsius Adae, et aliud peccatum originale quod traduxit in posteros. Ergo alia est gratia personalis, quae est propria ipsius Christi, et alia est gratia eius, inquantum est caput ecclesiae, quae ab ipso ad alios derivatur.

2. Praeterea, habitus distinguuntur secundum actus. Sed ad alium actum ordinatur in Christo gratia eius personalis, scilicet ad sanctificationem illius animae, et ad alium actum ordinatur gratia capitis, scilicet ad sanctificandum alios. Ergo alia est gratia personalis ipsius Christi, et alia est gratia eius, inquantum est caput ecclesiae.

3. Praeterea, sicut supra dictum est [1], in Christo distinguitur triplex gratia, scilicet gratia unionis, gratia capitis et gratia singularis illius hominis. Sed gratia singularis Christi est alia a gratia unionis. Ergo est etiam alia a gratia capitis.

Sed contra est quod dicitur Joh. 1 (16): 'De plenitudine eius omnes accepimus.' Secundum hoc autem est caput nostrum, quod ab eo accipimus. Ergo secundum hoc quod habet plenitudinem gratiae, est caput nostrum. Plenitudinem autem gratiae habuit, secundum quod perfecte fuit in illo gratia personalis, ut supra [2] dictum est. Ergo secundum gratiam personalem est caput nostrum. Et ita non est alia gratia capitis et alia gratia personalis.

Respondeo: Dicendum quod unumquodque agit inquantum est ens actu. Oportet autem quod sit idem actu [3], quo aliquid est actu et quo agit. Et sic idem est calor quo ignis est calidus et quo calefacit. Non tamen omnis actus quo aliquid est actu sufficit ad hoc, quod sit principium agendi in alia. Cum enim agens sit praestantius patiente, ut Augustinus dicit 12. super Gen. ad literam [4] et Philosophus in 3. de anima [5], oportet quod agens in alia habeat actum secundum eminentiam quandam. Dictum est autem supra [6], quod in anima Christi recepta est gratia secundum maximam eminentiam. Et ideo ex eminentia gratiae quam accepit competit sibi, quod gratia illa ad alios derivetur. Quod pertinet ad rationem capitis. Et ideo eadem est secundum essentiam gratia personalis, qua anima Christi est iustificata, et gratia eius, secundum quam est caput ecclesiae iustificans alios. Differt tamen secundum rationem.

Ad primum ergo dicendum quod peccatum originale in Adam, quod est peccatum naturae, derivatum est a peccato actuali ipsius, quod est peccatum personale, quia in eo persona corrupit naturam. Qua corruptione mediante peccatum primi hominis derivatur ad posteros, secundum quod natura corrupta corrumpit personam. Sed gratia non derivatur a Christo in nos mediante natura humana, sed per solam personalem actionem ipsius Christi. Unde non oportet in Christo distinguere duplicem gratiam, quarum una respondeat naturae alia personae, sicut in Adam distinguitur peccatum naturae et personae.

[1] Q. 7 introd. [2] Q. 7 a. 9.
[3] Fortasse cum aliquibus codicibus legendum: actus.
[4] August., Super Gen. ad lit. 1. 12 c. 16 n. 33 PL 34, 467 CSEL 28, 402.
[5] Aristot., De anima 1. 3 c. 5 n. 2 430 a 18. [6] Q. 7 a. 9. 10.

Ad secundum dicendum quod diversi actus, quorum unus est ratio et causa alterius, non diversificant habitum. Actus autem personalis gratiae, qui est sanctum facere formaliter habentem, est ratio iustificationis aliorum, quae pertinet ad gratiam capitis. Et inde est quod per huiusmodi differentiam non diversificatur essentia habitus.

Ad tertium dicendum quod gratia personalis et gratia capitis ordinantur ad aliquem actum, gratia autem unionis non ordinatur ad actum, sed ad esse personale. Et ideo gratia personalis et gratia capitis conveniunt in essentia habitus, non autem gratia unionis, quamvis gratia personalis possit quodammodo dici gratia unionis, prout facit congruitatem quandam ad unionem. Et secundum hoc una per essentiam est gratia unionis et gratia capitis et gratia singularis personae, sed differens sola ratione.

Ad sextum sic proceditur: Art.

1. Videtur quod esse caput ecclesiae non sit proprium Christo. Dicitur enim 1. Reg. 15 (17): 'Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.' Sed una est ecclesia in novo et in veteri testamento. Ergo videtur quod eadem ratione alius homo praeter Christum potest esse caput ecclesiae.

2. Praeterea, ex hoc Christus dicitur caput ecclesiae quod gratiam influit ecclesiae membris. Sed etiam ad alios pertinet gratiam aliis praebere, secundum illud Eph. 4 (29): 'Omnis sermo malus ab ore vestro non procedat, sed si quis bonus est ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus.' Ergo videtur quod etiam alii quam Christo competat esse caput ecclesiae.

3. Praeterea, Christus ex eo quod praeest ecclesiae non solum dicitur caput, sed etiam pastor [1] et fundamentum [2] ecclesiae. Sed non soli sibi Christus retinuit nomen pastoris, secundum illud 1. Petri 5 (4): 'Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam.' Nec etiam nomen fundamenti, secundum illud Apoc. 21 (14): 'Murus civitatis habens fundamenta duodecim.' Ergo videtur quod nec etiam nomen capitis sibi soli retinuerit.

Sed contra est quod dicitur Col. 2 (19): 'Caput ecclesiae est, ex quo corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.' Sed hoc soli Christo convenit. Ergo solus Christus est caput ecclesiae.

Respondeo: Dicendum quod caput in alia membra influit dupliciter. Uno modo, quodam intrinseco influxu, prout virtus motiva et sensitiva a capite derivatur ad cetera membra. Alio modo, secundum

[1] Joh. 10, 11. 14; Hebr. 13, 20. [2] 1. Cor. 3, 11.

exteriorem quandam gubernationem, prout scilicet secundum visum et alios sensus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus.

Interior autem effluxus gratiae non est ab aliquo nisi a solo Christo, cuius humanitas ex hoc quod est divinitati adiuncta habet virtutem iustificandi. Sed influxus in membra ecclesiae quantum ad exteriorem gubernationem potest aliis convenire. Et secundum hoc aliqui alii possunt dici capita ecclesiae, secundum illud Am. 6 (1): 'Optimates capita populorum.' Differenter tamen a Christo. Primo quidem, quantum ad hoc quod Christus est caput omnium eorum qui ad ecclesiam pertinent, secundum omnem locum et tempus et statum. Alii autem homines dicuntur capita secundum quaedam specialia loca, sicut episcopi suarum ecclesiarum, vel etiam secundum determinatum tempus, sicut papa est caput totius ecclesiae, scilicet tempore sui pontificatus, et secundum determinatum statum, prout scilicet sunt in statu viatoris. Alio modo, secundum quod Christus est caput ecclesiae propria virtute et auctoritate. Alii vero dicuntur capita inquantum vicem gerunt Christi, secundum illud 2. Cor. 2 (10): 'Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi', et 2. Cor. 5 (20): 'Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.'

Ad primum ergo dicendum quod verbum illud intelligitur, secundum quod ratio capitis consideratur ex exteriori gubernatione, prout rex dicitur caput regni sui.

Ad secundum dicendum quod homo non dat gratiam interius influendo, sed exterius persuadendo ad ea quae sunt gratiae.

Ad tertium dicendum quod, sicut dicit Augustinus super Joh.[1], "si praepositi ecclesiae pastores sunt, quomodo unus pastor est, nisi quia sunt illi omnes unius membra pastoris?" Et similiter alii possunt dici fundamenta et capita, inquantum sunt unius capitis et fundamenti membra. Et tamen, sicut Augustinus ibidem[2] dicit: "Quod pastor est, dedit membris suis, ostium vero se nemo nostrum dicit. Hoc sibi ipse proprium tenuit." Et hoc ideo quia in ostio importatur principalis auctoritas, inquantum ostium est per quod omnes ingrediuntur in domum, et ipse solus Christus est 'per quem accessum habemus in gratiam istam in qua stamus'[3]. Per alia vero nomina praedicta potest importari auctoritas non solum principalis sed etiam secundaria.

[1] August., Super Joh. tr. 46 n. 5 PL 35, 1730.
[2] August., Sup. Joh. tr. 47 n. 3 PL 35, 1734.
[3] Rom. 5, 2.

S. ALBERTI COLONIENSIS QUAESTIONES DE INCARNATIONE.

DE UNIONE CAPITIS QUOD EST CHRISTUS ET CORPORIS SCILICET ECCLESIAE.

Deinde quaeritur, qualiter Christus sit caput ecclesiae, et de unione corporis et capitis.

Et dividitur quaestio sic:

1° quaeritur: Quid unum sit movens caput et corpus.

2° Quo unit formaliter.

3° Utrum dilectione praedestinationis unit vel praesentis iustitiae.

4° Utrum mali sint de corpore, quod est ecclesia, vel tantum boni.

5° Secundum quam naturam Christus sit caput ecclesiae.

6° Qualiter sit caput eorum qui praecesserunt incarnationem.

7° Utrum sit caput militantis et triumphantis, secundum quod consistit ex angelis et hominibus.

8° Quare potius dicatur caput quam aliud membrum.

9° De unione corporis diaboli per oppositum.

Ad primum proceditur sic:

1. Omne unum aut est unum unione naturae aut unione gratiae aut unione rationis. Unum autem naturae dicitur tripliciter, scilicet indivisibile et continuum et ratione. Constat autem quod ecclesia non sit unum indivisibile nec unum continuum nec unum in ratione sicut est ratio circuli una, secundum quod dicimus quod diffinitum est unum et diffinitio est una. Unum autem rationis aut est prout unita sunt unum ex respectu plurium ad unam rationem et ex aequo participantium illam in uno nomine, sicut dicimus quod omnes homines sunt unum in ratione hominis[1], aut ex respectu plurium generum vel specierum ad unum genus generalissimum, sicut dicimus quod species

3 De — ecclesiae > *F* 8 monens *F*; manens *G* 12 5° quintum *FG* 27 aut + scilicet est *G*

[1] Cf. Boeth., In Porph. ed. S. Brandt CSEL 48, 228[10].

sunt unum in genere et genera subalterna in generalissimo, quod scilicet ex aequo participant illud secundum nomen et rationem, aut est ex respectu plurium ad unum non ex aequo sed secundum prius et posterius participantium illud, sicut dicimus generalissimum unum in eo quod est ens. Constat quod nullo istorum modorum dicitur unum de ecclesia.

Si autem dicitur unum unitate gratiae, aut illa erit essentialis aut habitualis. Constat quod non est essentialis, quia omnes non sunt una essentia nec una persona. Si autem est habitualis, erit etiam accidentalis. Et cum accidens numeretur secundum subiecta, videtur quod tot sunt habitus, quot sunt subiecta. Et ita non erunt unum in uno habitu, quia non est unus habitus.

2. Item, invenitur alia distinctio unius a philosophis, quod unum dicitur in substantia identitas, in quantitate aequalitas, in qualitate similitudo. Cum autem omnes non sint similes nec omnes aequales nec omnes idem nec in substantia vel quantitate vel in qualitate nec secundum substantiam nec secundum accidens aliquod, videtur quod nec ecclesia isto modo sit unum.

3. Item, secundum Bernhardum[1] unum dicitur multipliciter. Est enim unitas naturae, et est unitas aggregationis, et unitas concordiae, secundum quod dicitur[2] 'multitudo credentium erat cor unum et anima una', et unitas dignativa, secundum quod homo et Deus sunt unum, et unitas qua tres personae in trinitate uniuntur in una essentia. Videtur quod nullo istorum modorum ecclesia dicatur unum. Satis enim patet quod non unione naturae. Item videtur quod non unitate aggregationis, quia ibi non est aliquod unum rei. Collectivum enim simpliciter plura est et secundum quid unum. De omnibus patet nisi de illa quae est unitas concordialis. Sed constat quod illa unitas non facit unitatem, quae sit per modum unitatis corporalis. Ecclesia autem est una sicut corpus est unum, sicut dicit Apostolus 12 (4) ad Rom. Ergo videtur quod ista unitate non sit una. Et idem est argumentum de unitate aggregationis.

Si forte dicatur quod ecclesia est una unitate fidei, sicut videtur dicere Glossa super epistulam ad Eph., contra: Aut hoc dicitur propter fidem qua creditur aut propter fidem secundum quod creditur. Fides autem qua creditur multiplicatur, secundum quod multi sunt credentes. Fides enim mea non est tua. Fides etiam secundum quod creditur multiplicatur secundum multitudinem articulorum. Ergo videtur quod ecclesia ab unitate fidei non dicatur una.

---

21 multitudinis *G* 22 una + in Domino *G* 31 unitate *G*; ecclesia *F* 35 secundum > *F*

---

[1] Bernh., De consid. l. 5 c. 8 PL 182, 799 C—D. [2] Act. 4, 32.

Si forte dicatur quod hoc est propter unitatem Spiritus vivificantis ecclesiam, unus enim est Spiritus inspirans omnes fideles, contra: Spiritus Sanctus est in omnibus tribus modis, secundum quod Deus dicitur esse in omnibus, scilicet essentialiter, praesentialiter, potentialiter. Non autem omnia propter hoc dicuntur esse unum aliqua unitate. Ergo videtur quod nec ecclesia.

4. Item, constat quod Spiritus Sanctus per multos operatur, qui non sunt de unitate corporis mystici, quod est ecclesia, sicut operatus est per Balaam [1] et per Caipham [2]. Ergo videtur quod ab unitate Spiritus Sancti non dicatur ecclesia una.

S o l u t i o: Dicimus quod ab unitate Spiritus ecclesia dicitur una. Sed dupliciter potest considerari Spiritus Sanctus, in quantum Spiritus vel inquantum Spiritus Sanctus, in eo quod est sanctus. Et hoc ultimo modo ab ipso corpus ecclesiae dicitur unum. Sicut enim spiritus creatus deputatur unus corpori uni quod continet et vivificat, sic Spiritus Sanctus increatus, inquantum est sanctus, corpori mystico, quod est ecclesia, deputatur, quod continet et vivificat spiritualiter.

Si autem quaeritur, quare non ab unitate Patris vel ab unitate Filii dicatur ecclesia una, dicendum quod Spiritus Sanctus est distributio donorum quibus vivificatur ecclesia. 'Haec enim omnia operatur unus Spiritus dividens singulis prout vult' [3]. Et ideo dicit A u g u s t i n u s [4] in libro d e s p i r i t u e t a n i m a, quod Spiritus Sanctus est persona vicinior nobis, per quem dona nobis distribuuntur. Et iterum dicitur 5 (5) ad R o m. quod 'caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum Sanctum, qui datus est nobis'.

Ad p r i m u m autem dicimus quod hic est unitas similis unitati naturae. Sed multiplex est unitas naturae. Dicitur enim unum quod ex materia et forma est unum ab unitate formae. Et inter alios modos dicuntur unum membra organica in uno motore. Et ad similitudinem unionis huius dicitur ecclesia unum corpus ab unitate Sancti Spiritus moventis et ab unitate capitis regentis.

Ad s e c u n d a m d i v i s i o n e m dicimus quod illa diviso unius datur ex relatione duorum ad invicem secundum diversa praedicamenta. Et ideo non extendit se ad omnes unitates, sed tantum ad ea, secundum quae attenditur comparatio relationis. Idem enim relativum est, ut dicit B o e t h i u s [5] in libro d e t r i n i t a t e, et similiter aequale et simile.

13 Sanctus + scilicet *G* 15 uni > *G* quod continet] ad quod pertinet *G* 27 haec *G* 28 dicimus *G* 34 ad > *G*

[1] Num. 24. [2] Joh. 11, 49—51. [3] 1. Cor. 12, 11.
[4] Alcherus, De spir. et an. c. 6 PL 40, 783.
[5] Boeth., De trin. c. 6 PL 64, 1255; ed. Peiper 162 [17. 18].

Ad tertium dicimus, scilicet ad divisionem beati Bernhardi, quod haec est unitas consentionis, secundum quod dicitur 'multitudinis credentium erat cor unum et anima una'. Sed est attendendum quod haec non est unitas tantum multorum in uno volito sed etiam in fine voluntatis, quia sicut unum volunt ita propter unum et efficiente uno. Unde propter unum quod est volitum ultimum et finis et efficiens ecclesia dicitur una.

Ad id quod postea obicitur bene concedimus, proprie loquendo, quod propter unam fidem ecclesia non dicitur una, sed propter unum Spiritum, qui est efficiens et finis et ultimum volitum, sicut etiam dicitur in symbolo: Credo in Spiritum Sanctum, sanctam ecclesiam, idest: credo in Spiritum Sanctum sanctificantem et unientem ecclesiam.

Ad aliud dicendum quod Spiritus est in omnibus. Tamen Spiritus Sanctus, in quantum sanctus, est proprie loquendo non nisi in his, in quibus habitat per gratiam gratum facientem, quos et vivificat et unit, ceteris in morte et divisione remanentibus.

Ad ultimum dicimus quod Spiritus inspirat malos prophetas et operatur per eos quandoque miracula, sed numquam in eo quod sanctus est.

Et si obicitur quod dicit beatus Gregorius[1], quod omnia dona Spiritus sanctitatem efficiunt aut sanctitatem demonstrant, dicendum quod verum est. Sed intelligendum quod dona talium non demonstrant sanctitatem personae operantis, sed sanctitatem ecclesiae, propter quam fiunt. Propter ecclesiam enim Deus etiam per malos miracula operatur, ut per hostes veritatis veritas ostendatur.

Secundo quaeritur, utrum hoc sit unitate caritatis aut unitate fidei aut spei aut alterius virtutis.

Sicut enim videmus in corpore naturali, quod non est ibi tantum spiritus unus, sed etiam aliquid est quod influit toti corpori, quo principaliter vivificantur membra, secundum quod dicitur quod vita est primus actus continuus animae in corpus, sic oportet esse in corpore spirituali, quod aliquid influat spiritus corpori, quo vivificentur omnia membra.

---

2 unitas > *G* 3 una + in Domino *G* 21 dicat *G* 25 fit *F* 31 aliquod *G* 32 vivificat *F* 34 aliquod *G*

---

[1] Greg., In Ez. l. 1 hom. 5 n. 11 PL 76, 825. Cf. Petr. Lomb., Sent. l. 3 d. 31 c. 1 (215).

Et quaeritur, quid sit illud.

1. Et videtur quod hoc sit fides. Hoc enim dicit Glossa super epistulam ad Eph. Ergo ita est.

2. Item, sicut vita naturalis est primus actus animae in corpus, ita fides primum est quod influit nobis Spiritus Sanctus, secundum quod dicit Apostolus 11 (1) ad Hebr., quod 'fides est substantia rerum sperandarum', idest fundamentum.

3. Sed videtur quod hoc sit quaelibet virtus, quia dicit ita super epistulam ad Col. II. Glossa, quod corpus conectitur fide, spe, caritate et operatione. Operatio autem respicit quamlibet virtutem.

4. Praeterea, virtus diffinitur generaliter ab Augustino[1] in libro de libero arbitrio, quod virtus est bona qualitas mentis, quam Deus operatur in nobis sine nobis. Ergo videtur quod intelligatur de qualibet virtute.

1. Sed econtra videtur quod haec sit sola caritas. Dicit enim Augustinus[2] quod caritas est vita animae.

2. Item, caritas est forma omnium aliarum virtutum. Ergo videtur quod principaliter penes istam sit vita animae. Aliae enim sine ista non vivificant.

3. Item, virtutum quaedam immediate sunt in finem, ut virtutes theologicae, quaedam enim respiciunt id quod est ad finem, ut virtutes cardinales. Quatuor autem, quae respiciunt id quod est ad finem, constat quod non vivificant, quia omnis vivificatio est a fine et omnis unio similiter. Fides autem, licet respiciat finem, scilicet primam veritatem, tamen respicit illum in pluribus articulis et ita non consistit in uno, sed in pluribus. Ergo non videtur eius proprie unire. Spes etiam, licet respiciat finem, tamen non tota fundatur super id quod finis est, sed etiam super meritum, quod est ex parte sperantis. Spes enim est certa exspectatio futurae beatitudinis ex gratia et meritis provenientis. Ergo videtur quod nec eius sit unire. Unio enim tota est a fine et a solo fine. Relinquitur ergo quod haec unio sit a sola caritate, cum illa habeat finem, idest summum bonum, pro materia et fine, et nihil supponat ex parte diligentis. Caritas enim diligit summum bonum propter summum bonum.

Quod videtur concedendum. Et dicendum quod conexio membrorum per modum unionis est per caritatem, quia caritas

19 alia *G* 21 ut > *F* 23 Quatuor] haec *G* 31 et] ex *F* proveniens *F*

[1] Aug., De lib. arb. l. 2 c. 18. 19 PL 32, 1266 sqq. Cf. Retract. c. 9 n. 6 PL 32, 598 CSEL 36, 46. Cf. Petr. Lomb., Sent. l. 2 d. 27 c. 5 (243).

[2] Alcher., De spir. et an. c. 38 PL 40, 809. Cf. Aug., In Joh. tract. 9 c. 2 n. 8 PL 35, 1462.

unit. Junctura autem membrorum est per fidem, et convenientia vel similitudo est per spem vel per alias virtutes. Et ita distinguit Glossa[1] super epistulam ad Col. 2.

Ad primum ergo dicimus quod iunctura est per fidem, et haec quandoque appellatur unio.

Ad omnia autem alia dicimus quod, licet omnis virtus sit qualitas quam operatur in nobis Spiritus Sanctus, tamen quia haec sola vivificat, haec sola est qua influit vitam Spiritus Sanctus corpori.

Tertio quaeritur, utrum hoc intelligatur de caritate praedestinationis vel praesentis iustitiae.

1. Et videtur quod de caritate praedestinationis, quia veritas humanae naturae principaliter dicitur id quod apparebit in resurrectione. Cum igitur ita sit de illis qui diliguntur caritate praedestinationis, qui coronabuntur cum Christo, videtur quod illi principaliter sint de corpore Christi.

2. Item, unio attenditur secundum gratiam ordinatam ad gloriam. Sed gratia praedestinationis infallibiliter ordinatur, alia fallibiliter. Ergo etc.

3. Item, caritas praedestinationis magis est una cum caritate increata quam caritas praesentis iustitiae. Ergo, cum unio sit a Spiritu Sancto, qui est caritas increata, videtur magis esse per caritatem quae convenit cum ipso, scilicet per caritatem praedestinationis, quam per caritatem praesentis iustitiae.

Contra: Non omnes praedestinati vivunt spiritualiter. Sed omnes qui habent caritatem praesentis iustitiae vivunt spiritualiter. Ergo vita quam influit spiritus est per hanc et non per illam.

Solutio: Quod concedimus dicentes ad primum quod veritas humanae naturae est id de quo potest dici quod hoc est vere humana natura. Et est idem sub corruptione et incorruptione, sicut dicit Anselmus[2] in libro Cur Deus homo. Et similiter est hic, quod veritas vitae est per id, de quo vere potest dici quod per illud vivit. Et hoc est caritas praesentis iustitiae. Quod autem remaneat in futuro vel non, hoc est per accidens vel per consequens.

14 dicitur > *G* 32 Augustinus *FG* libro + de *F*

[1] Petr. Lomb., In ep. Pauli PL 192, 277 C.

[2] Ans., Cur Deus homo l. 2 c. 11 PL 158, 410; ed. Schmitt (Flor. Patr. 18) p. 48.

Ad secundum dicimus quod omnis gratia ordinata est ad gloriam, sive sit finis sive non. Quod autem non remanet usque in finem in quibusdam, hoc est ex libero arbitrio abiciente ipsam.

Ad ultimum dicimus quod praedestinationis caritas nihil ponit in praedestinato. Et idcirco ab ipsa non potest esse vita in corpore mystico. Vita enim, qua corpus vivit formaliter, est aliquid in corpore, non extra corpus.

Quarto quaeritur, utrum mali sint de corpore vel tantum boni.

1. Videtur autem quod et boni et mali. Ita est in corpore naturali quod, si membrum aliquod arescit, adhuc est de corpore, sicut est de manu paralytica vel aliquo alio. Ergo similiter est de corpore mystico.

2. Item, illud est organum animae per quod exercetur opus animae, sicut in manu palpatio et in pede ambulatio. Ergo illud est organum Spiritus unientis ecclesiam, per quod exercetur operatio ipsius Spiritus. Sed per multos malos operatur Spiritus actus gratiarum gratis datarum, sicut prophetiae et doctrinae et similium. Ergo videtur quod illi sint de membris ecclesiae.

3. Item, videmus quandoque quod mali maiorem locum tenent in ecclesia et habent potestatem apostolicam. Constat autem quod haec potestas non est nisi in corpore ecclesiae. Ergo videtur quod illi sint de membris ecclesiae.

1. Contra: Primus actus in corpus est vita. Constat autem quod illi tales non vivunt. Ergo non sunt de corpore.

2. Item, dicit Augustinus[1] quod propter hoc dicit Apostolus[2] quod "unus panis unum corpus" sumus in Christo, quia, sicut unus panis colligitur de multis granis purissimis, ita ecclesia colligitur ex multis fidelibus purissimis. Sed illi non habent puritatem. Ergo etc.

3. Item, non est idem membrum organum diversorum spirituum vel oppositorum, sicut spiritus hominis et spiritus asini. Ergo cum mali organum sint diaboli, non erunt organum Spiritus Sancti. Et ita non erunt de corpore ecclesiae.

Quod concedimus dicentes

ad primum quod in corpore naturali nullum est membrum, si membrum est, quin percipiat vitam. Quod patet ex hoc quia, si

2 finalis *G* remaneat *G* 6 aliquod *G* 12 est > G 30 vel] Dei *G* 31 ita non] tamen *G* 33 dicentes + solutio *F* 34 primum + dicimus *F*

[1] Aug., In Joh. tract. 26 n. 13. 15. 17 PL 35, 1613 sq. Cf. Petr. Lomb., Sent. l. 4 d. 8 c. 6—7 (91).

[2] Cf. 1. Cor. 10, 17; Eph. 4, 5.

quaereretur, an omnino anima esset separata ab illo membro, diceretur quod non. Non enim est membrum mortuum. Manus enim mortua non est manus, sicut nec homo mortuus homo[1].

Ad secundum dicimus quod Spiritus Sanctus dupliciter operatur per diversos, scilicet et per organum et per instrumentum. Organum enim movetur a motore intrinseco, instrumentum autem ab extrinseco, sicut patet in manu citharizante et in cithara. Manus enim movetur ab intrinseco et cithara ab extrinseco. Talis est motus Spiritus Sancti per illos quos inhabitat et per illos quos non inhabitat. Licet enim in omnibus sit essentialiter, praesentialiter, potentialiter, tamen Spiritus, inquantum Sanctus est, non est motor nisi eorum quos inhabitat per gratiam gratum facientem. Et ideo illi sunt tamquam organum, alii autem tamquam instrumentum.

Ad ultimum dicimus quod duplex est ordo ecclesiae. Unus ordo est similis ordinationi membrorum ad unum spiritum moventem et vivificantem membra. Et secundum hoc dicitur quod Christus est caput ecclesiae. Alius est ordo subditorum ad praelatum secundum dispensationem fidei et bonorum morum. Et ille est similis ordini civium sub uno praelato et una lege viventium. Quantum ad hunc ultimum modum mali sunt de ecclesia, non quantum ad primum.

Quinto quaeritur, secundum quam naturam Christus dicatur caput ecclesiae.

1. Videtur enim quod secundum divinam, quia dicit Glossa[2] super epistulam ad Eph. 2, quod Christus est caput ecclesiae secundum naturam divinam, secundum quam confert ei esse.

2. Item, Hilarius[3] in libro de synodis — et ponitur in illo capitulo "Si quis innascibile" — dicit sic: "Caput omnium Christus, caput vero Christi Deus." Sed omnium est caput secundum naturam divinam, sicut ibidem[3] dicit. Ergo etc.

3. Item, caput dicitur quod influit sensum, sicut dicit Glossa[4] super epistulam ad Eph., et vitam. Sed hoc non competit Christo nisi secundum naturam divinam, quia gratia non est ab ipso nisi

---

1 illo] alio *G* 5 et[1]] vel *F* ut *G* 27 innascibile + et *F* 29 ibidem] idem *G* 32 ipso] aliquo *G*

---

[1] Boethius, In l. Arist. *Περὶ ἑρμ.* rec. C. Meiser (Bibl. Teubn.) I 18[8].
[2] Petr. Lomb., In ep. Pauli PL 192, 178 D.
[3] Hil., De syn. n. 60 PL 10, 521.
[4] Petr. Lomb., In ep. Pauli PL 192, 178 D.

inquantum Deus, sicut dicit beatus Bernhardus[1]. Ergo est caput secundum naturam divinam.

1. Contra: Monstrum est quando caput est in alia natura quam membra. Ergo, cum membra sint humanae naturae, videtur quod caput necesse est esse in eadem.

2. Item, dicit Augustinus[2] quod omnes qui salvati sunt, salvati sunt in fide mediatoris. Ergo cum salus sit a capite, videtur quod ipse sit caput, inquantum est mediator. Sed mediator est quantum ad unam personam in duabus naturis. Ergo videtur quod ipse sit caput inquantum huiusmodi.

Quod concedimus dicentes

ad primum quod caput dicitur dupliciter, large et stricte. Large dicitur caput quod habet rationem principii ad aliqua, quae ordinantur ad ipsum tamquam principata ad ipsum secundum esse. Et sic intelliguntur primae auctoritates. Et sic Christus est caput omnium, et Deus Pater est caput. Pater autem est principium Filii et creaturarum, Filius autem creaturarum. Minus large dicitur caput quod est principium alicuius esse quod est conforme capiti. Et sic Christus iterum dicitur caput beatorum et angelorum secundum divinam naturam, quia trahunt ab ipso esse beatum et divinum. Tertio modo dicitur caput strictissime et propriissime, secundum quod est principium esse quod est conforme capiti existenti eadem natura cum membris. Et sic Christus dicitur caput, secundum quod est persona una in duabus naturis, ut per divinitatem sit principium vitae spiritualis et per humanitatem sit conformis cum membris.

Ex hoc patet solutio ad omnia quaesita.

Sexto quaeritur, qualiter sit caput eorum qui praecesserunt incarnationem.

1. Videtur enim quod non sit caput, quia tunc non fuit in natura humana. Ergo non fuit caput.

2. Praeterea, illorum non erat collectio in unum sicut in uno corpore, sicut modo, quia quidam illorum erant in praeputio, quidam in circumcisione. Postea autem collecti sunt in unam fidem. Ergo, cum tunc non fuerint in corpore uno, videtur quod non fuit caput eorum.

---

5 eadem + natura *G* 10 huius *G* 14 principiatum *G* 19 bonorum *F* 32 quia] et *G* illorum > *G* 34 fuit] fuerit *G*

---

[1] Bernh., In cant. sermo 10 n. 8 PL 183, 822.

[2] Aug., Ep. 190 (157) ad Optatum c. 2 n. 5. 6 PL 33, 858 sq. CSEL 57, 141. Cf. Petr. Lomb., Sent. l. 3 d. 25 c. 1 (175).

1. Contra: 2. Cant.[1]: 'Una est columba mea.' Ergo una est ecclesia. Ergo omnes ordinabantur ad unum caput.

2. Praeterea, ecclesia semper stetit ab Adam, sicut dicit Anselmus[2], et nunquam fuit acephala. Ergo semper habuit caput unum.

3. Item, dicit Augustinus[3] quod eadem fuit fides antiquorum et modernorum. Tempora enim variata sunt, fides immutata permansit. Et dicit[4] quod omnium qui salvati sunt fides fuit de mediatore et capite Christo.

Solutio: Caput dupliciter consideratur secundum naturam et secundum fidem. Et licet non semper fuerit secundum naturam conforme membris, fuit tamen secundum fidem.

Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad secundum dicimus quod omnes ecclesiastici semper fuerunt in uno corpore; quod non dicitur ab unitate circumcisionis vel praeputii, sed ab unitate spiritus vivificantis per caritatem.

Septimo quaeritur, utrum ipse sit caput angelorum.

1. Videtur quod sic, quia super illum locum epistulae Petri[5]: 'In quem desiderant angeli prospicere', dicit Glossa: "Etiam corporaliter." Ergo videtur quod a Christo homine percipiunt influxionem gloriae spiritualis.

2. Praeterea, una est sponsa, sive sit in patria, sive in via sit. Sed angeli sunt de patria Ergo videtur quod Christus sit caput eorum.

3. Item, dicit Dionysius[6] quod angeli a Christo homine recipiunt illuminationes. Ergo ipse est caput eorum, quia caput est a quo est vita in corpus, sicut dicit Augustinus[7].

4. Item, dicitur 21 (23) Apoc.: 'Lucerna eius est agnus', scilicet Christus est agnus, secundum quod fuit victima. Ergo secundum hoc illuminat angelos. Ergo secundum humanam naturam est caput.

---

7 fides + autem *G* 20 participant *G* 22 sit[2] > *G* 23 de] in *G* 24 sq. accipiunt *G*

---

[1] Cant. 6, 8.

[2] Ans., Cur Deus homo l. 2 c. 16 PL 158, 418. ed. Schmitt (Flor. Patr. 18) p. 54. Cf. Ans., Homil. 6. 8 PL 158, 621 sqq. 637.

[3] Aug., Ep. 190 (157) ad Optatum c. 2 n. 6 PL 33, 858. CSEL 57, 141 sq. Cf. Petr. Lomb., Sent. l. 3 d. 25 c. 1 (175).

[4] Aug., l. c.

[5] 1. Petr. 1, 12.

[6] Ps.-Dion., De cael. hier. c. 7 § 3 PG 3, 209 B.

[7] Cf. Aug., Enar. in Ps. 139 n. 2 PL 37, 1805.

Contra: Non habet conformitatem naturae cum angelis. Ergo non est caput.

Solutio: Supra dictum est quod caput dicitur tripliciter. Et ita dicimus quod secundum primum et secundum modum ipse est caput et non secundum tertium.

Et ita patet solutio ad omnia praedicta.

Octavo quaeritur, quare potius dicatur caput quam aliud membrum.

1. Videtur enim quod sit manus, quia dicit Propheta[1]: 'Emitte manum tuam de alto' etc.

2. Item, Christus est Dei virtus[2], per quam Pater omnia operatur. Et virtus significatur in manu, quia manus est organum operis. Ergo etc.

3. Item, videtur quod sit cor, quia cor est principium vitae, et vita est a Christo in corpore. Ergo videtur quod potius sit cor quam caput.

Solutio: Vita dicitur multipliciter, sicut dicit Philosophus[3] in 2. de anima, scilicet secundum moveri et sentire et vegetare et intelligere. Hic autem est vita intellectualis. Haec enim non percipitur nisi ab intellectuali natura, et non datur nisi ab intellectuali natura. Quia sedes intellectus est in capite, ideo Christus potius dicitur caput quam cor vel manus. Nihil autem prohibet, quod Christus quantum ad diversas proprietates sub diversis metaphoris dicatur manus vel aliud membrum. Inquantum enim Pater per eum omnia operatur, dicitur manus. Item, inquantum fert miseris auxilium, est manus.

Et per hoc patet solutio ad primum et ad secundum argumentum.

Ad tertium autem dicimus quod vita vegetabilis principiatur a corde, sed non vita intellectualis. Et ideo non dicitur cor, sed caput.

---

24 item > *G* 28 sensibilis *G*

---

[1] Ps. 143, 7.
[2] 1. Cor. 1, 24.
[3] Arist., De anima l. 2 413 a 23.

ULRICI DE ARGENTINA SUMMA DE SUMMO BONO.

EX L. 5. TRACT. 1 CAP. 13.

Gratia praedicta, inquantum perficit habentem et opera eius, vocatur gratia singularis personae. Et eadem numero gratia, inquantum ratione plenitudinis redundantiae diffunditur in omnes, sic vocatur gratia capitis. Hoc enim est unguentum in capite [1] Aaron, qui interpretatur mons fortitudinis, de quo I s. 2 (2): 'Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini.' Quod unguentum descendit a capite in barbam, idest in primos qui Christo capiti inhaeserunt, et descendit usque 'in oram vestimenti eius' idest per omnes status ecclesiae usque in finem mundi. Unde cum haec gratia non sit nisi humanitatis Christi, diffusio autem ipsius per meritum Christi non sit nisi virtute deitatis, quae communicando humanitati in operibus suis dat eis virtutem infinitam merendi, ut praediximus, per quam virtutem meruit Christus gratiam omnibus merito condigni, patet quod Christus nec secundum quod Deus tantum nec tantum secundum quod homo, sed secundum quod ipse Deus est et homo, est caput ecclesiae. De quo dicitur E p h. 4 (15 sq.): 'Qui est caput Christus; ex quo', idest per quem 'totum corpus' scilicet ecclesiae est 'compactum' in caritate, 'quae est vinculum perfectionis' [2] et conexum per omnem iuncturam ad subministrationem', idest secundum omnem modum divisionis gratiae [3], qua unum membrum subministrare potest alteri et unum indiget ministerio alterius, sicut est in corpore naturali. Unde addit: [4] 'Secundum mensuram uniuscuiusque membri', de qua praemisit: 'Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis

5 singularis] huius *S* 9 domus > *P* Dei *O* 10 adhaeserunt *SO* 14 divinitatis *RS* 18 est Deus *RS* 20 est > *RSO* 22 ad > *RS* subministrationis *RS*

[1] Ps. 132.
[2] Col. 3, 14.
[3] Cf. 1. Cor. 12, 4.
[4] Eph. 4, 16.

Christi'[1]. De qua subministratione 1. Cor. 12 (17 sq.): 'Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra' etc. Et infra adaptat hanc similitudinem cum dicit: 'Numquis omnes apostoli' etc.[2] Augmentum corporis facit alios per istos de novo incorporando in aedificationem sui corporis, donec completus sit numerus electorum.

Ratio autem huius transsumptionis est, quia sicut in corpore naturali caput connaturale est residuo corpori et per collum eidem coniungitur et tamen inter omnia membra exteriora et manifesta est nobilius et perfectius, tamquam solum habens in se omnes sensus et sensum et motum diffundens in totum corpus, ad minus ut causa secundaria, quia secundum Philosophum[3] cor est primum principium horum, sic etiam Christus per assumptam naturam est nobis consubstantialis, et per fidem, quae intelligitur per collum, Cant. 4 (4): 'Turris David collum tuum' etc., nos ei unimur illa unione pro qua ipse orat cum dicit, Joh. 17 (29): 'Ut sint unum, sicut et nos unum sumus.' Sicut etiam dicitur 1. Cor. 11 (3): 'Caput Christi Deus' et: 'Qui de caelo venit super omnes est', Joh. 3 (31). Ipse enim sensum et motum fidei ambulantis per dilectionem omnibus infundit. Et ideo bene dicitur caput.

Ecclesia autem tota, propter praedictas secundum Apostolum similitudines ad naturale corpus hominis, vocatur unum corpus, scilicet quia in omnibus est una natura, unus spiritus vivificans et regens, unus sensus fidei et unum caput[4]. Et tamen secundum divisiones gratiarum[5] diversi habent diversa officia, sicut sunt membra officialia in corpore. Et ideo nullus perfectus est per se in gratia, sed ex omnibus unum quid perfectum in omni gratia colligitur, sicut etiam membra integrant unum corpus perfectum.

Ex opposito etiam diabolus est caput malorum, et ipsi sunt eius corpus . . .

Cum autem corpus Christi sit ecclesia secundum illud Eph. 1 (22 sq.): 'Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quae est corpus

---

3 infra] ita *PO* 13 assumptam] assumptionem *O* naturam] naturae *O* 15 etc. > *PO* 17 etiam] enim *R* 18 Deus + est *P* et] etiam *RS* 19 enim] etiam *PR* 29 etiam] autem *P* enim *O*

---

[1] Eph. 4, 7.
[2] 1. Cor. 12, 29.
[3] Aristoteles, De gener. anim. l. 2 c. 6 743 b 25. Cf. Thom. Aq., In 3. Sent. d. 13 q. 2 a. 1 ad 5.
[4] Cf. Eph. 4, 5.
[5] Cf. 1. Cor. 12, 4.

eius', patet quod ipse non est caput super illos, qui nec numero nec merito sunt de ecclesia, sicut sunt illi qui nec fide nec sacramento fidei sunt ecclesiae uniti, quia per hoc oportet eos incorporari Christo ad hoc, ut ipse sit caput eorum. Unde 1. Cor. 12 (13): 'Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judaei sive gentiles' etc. Qui autem sunt de ecclesia numero et non merito, sicut illi qui fide informi vel saltem sacramento fidei sunt in ecclesia, licet fidem non habeant, ut haeretici, sicut non sunt proprie membra huius corporis, eo quod secundum Philosophum [1] manus mortua aequivoce dicitur manus cum manu viva, et similiter est de aliis membris, et 'fides sine operibus mortua est' [2], ita etiam non habent proprie Christum pro capite. Sed ut praedictum est, ipsi sunt de corpore Leviathan cuius caput est diabolus. Illorum autem proprie est ipse Christus caput, qui sunt de ecclesia numero et merito.

Et quia ecclesia est una columba, Cant. 6 (8): 'Una est columba mea, perfecta mea', et ad hanc unitatem pertinent etiam sancti veteris testamenti qui unam fidem nobiscum habuerunt, et ideo una vinea domini vocatur, in quam diversos operarios diversis horis misit verus paterfamilias, Matth. 20 (1—7) [3], ideo etiam illorum caput fuit Christus incarnandus, qui per fidem huius futurae incarnationis iam tunc eis infudit gratiam.

Ad hanc unius ecclesiae integrationem concurrunt ecclesia militans et ecclesia triumphans. De qua sunt etiam angeli concives et consortes nostri. Et ideo omnium horum caput est Christus influens angelis illuminationes [4], etiam secundum quod ipse est homo. Cum quibus etiam ipse habet conformitatem in natura intellectuali, quae est supremum et nostrae naturae completivum, mediante qua residua nostra natura unita est Verbo Dei, ut dicit Damascenus [5]. Unde Coll. 2 (10): 'Qui est caput omnis principatus et potestatis.'

Est autem frivola quaestio quorundam [6], an Christus sit caput hominum secundum animam vel secundum corpus nostrum. Nam cum totus homo Deo gratificetur per gratiam et beatificetur per gloriam, ipse est caput nostrum, prout principia naturae unum sunt in una

---

4 ut] quod *S* 7 sicut + sunt *P* 8 propria *PO* 12 ut + hic *P* 23 concives] et cives *P* 26 etiam > *PO* 27 quo *PO*

---

[1] Aristoteles, De anima l. 2 412 b 14.
[2] Jac. 2, 26.
[3] Cf. Gregor. M., Hom. 19 in Evang. n. 1 PL 76, 1154.
[4] Ps.-Dionys., De cael. hier. c. 7 § 3 PG 3, 209 B.
[5] Joh. Dam., De fide orth. l. 3 c. 6 PG 94, 1005 B. Cf. Thom. Aq., In 3. Sent. d. 13 q. 2 a. 2 qa. 1.
[6] Thom. Aq., In 3. Sent. d. 13 q. 2 a. 2 qa. 3

tertia natura potius, quam prout divisa sunt. Si tamen sumantur ut divisa, tunc principaliter est caput respectu illius partis, cui ipse primo influit gratiam, quae est anima, et secundario corporis, quod non est capax gratiae, nisi inquantum est instrumentum animae in operibus gratiae. Sic enim membra nostra templum sunt Spiritus Sancti, 1. Cor. 6 (15).

2 diversa *RS* 5 operationibus *PO*

INDEX

Prolegomena 5
Sigla 6
Libri consulendi 6

S. Thomae de Aquino Summa de theologia p. 3 q. 8

De gratia Christi, secundum quod est caput ecclesiae:
1° Utrum Christus sit caput ecclesiae 7
2° Utrum sit caput hominum quantum ad corpus vel solum quantum ad animas 9
3° Utrum sit caput omnium hominum 10
4° Utrum sit caput angelorum 12
5° Utrum gratia, secundum quam est caput ecclesiae, sit eadem cum habituali eius, secundum quod est quidam homo singularis 13
6° Utrum esse caput ecclesiae sit proprium Christo 15

S. Alberti Coloniensis quaestiones de incarnatione

De unione capitis quod est Christus et corporis scilicet ecclesiae
1° Quid unum sit movens caput et corpus 17
2° Quo unit formaliter 20
3° Utrum dilectione praedestinationis unit vel praesentis iustitiae . . 22
4° Utrum mali sint de corpore, quod est ecclesia, vel tantum boni . . 23
5° Secundum quam naturam Christus sit caput ecclesiae 24
6° Qualiter sit caput eorum qui praecesserunt incarnationem 25
7° Utrum sit caput militantis et triumphantis, secundum quod consistit ex angelis et hominibus 26
8° Quare potius dicatur caput quam aliud membrum 27

Ulrici de Argentina Summa de summo bono ex l. 5 tract. 1 cap. 13 28

DESCLÉE & C
PIAZZA GRAZIOLI
ROMA 117

DATE DUE

GAYLORD

PRINTED IN U.S.A.

BX 25970
1749
T472 Quaestio de Gratis
Capitis /
S. Thomae de Aquino

Flora Lamson Hewlett Library
Graduate Theological Union
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

DEMCO

GTU Library
BX 1749 T472 G
Thomas Aquinas/S. Thomae de Aquino Quaes
3 2400 00174 8965

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall.